

Responsio : Confessarius revera non est infallibilis *materialiter* in sua dirigendi ratione, tu autem vera gaudebis infallibilitate, ei obsequendo, cum Christus dixerit Apostolis seu Sacerdotibus : *Qui vos audit, me audit*. Igitur, si forte materialiter dux tuus erraverit, error ille tibi minime imputari potest. Sed dic mihi, quæso, mi bone, quare adeo reformidas errorem ex parte Confessarii, et tam parum diffidis pertinaciæ judicii tui, et spiritui superbiæ ac tenebrarum quo replearis? Nescis quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*? Verum si gratia conceditur humilitati, humilitas in obedientia et animi subjectione sistit. Quis igitur *te fascinavit non obedire veritati*? Galat. 3, 1.

55. — *Objectio* 5^a : Pater, minime diffido sapientiæ tuæ, sed mihi ipsi, qui conscientiam meam tibi patefacere nequeo, et ideo continuis anxietatibus detineor et crucior.

Responsio : Contemne, frater, hos animi tui angores et cruciatus; inanes et periculosas abjice curas. Hunc statum tuum patienter sustine, et Deus olim te sublevabit, nec quippiam detrimenti ex his animæ tuæ perplexitatibus et angoribus capies. Dic ex imo corde cum regio Psalmista : *In te, Domine, speravi; non confundar in æternum*. Ps. 30, 2.

CASUS VI.

DE PROBABILISMO 1°.

Disputatio inter plures doctores.

1° SEVERINUS, *probabiliorismi* patronus accerrimus, adversarios in unum demergit barathrum. Clamitat eos evidenti salutis discrimini se committere, opinionem minus tutam, seu minus aut æque probabilem sequendo, cum id quod probabilius malum est peragere præsumant, et proinde leges divinas formaliter violare non dubitent.

2° BENIGNUS, *æqui-probabilismi* defensor, ut *amantissimus æqui*, carpit SEVERINUM de nimio rigore, innixus hoc principio : *Lex dubia non obligat*, seu *non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet*; sed probabilistis, utpote in benigniorem partem propendentibus, etiam adversatur.

3° HOMOBONUS, *probabilista*, jura libertatis propugnans, carpit tum SEVERINUM, tum BENIGNUM : primum quidem rationibus secundi, et secundum suis ipsiusmet rationibus, eum propriis armis confodiendo.

4° AUDIFACIUS vero, cujuslibet systematis osor, socios suos omnes carpit, dictitando eos vanas et chimericas disputationes agitare; statuit autem sensum communem sufficere ad varios casus solvendo, sicut ante exortas de his controversias plane sufficiebat.

HINC :

QUÆR. *Quid de singulis, seu quis carpendus?*

SOLUTIO :

56. — R. 1° Carpendus SEVERINUS. Etenim qui alios sine justa causa carpit, jure merito carpendus est. Quare probabilistas in unum demergit barathrum? Nemini theologo fas est damnare quos Ecclesia non damnat, quosque major pars theologorum suo suffragio comprobavit. Sis pro te ipso, SEVERINE, severus et quidem severissimus, probabiliorista et rigorista; per me licet; imo et tibi suadeo. Ast caveas, quæso, ne proprias opinionationes, velut certissimas leges, aliis imponas. Unum a te scire velim. Dic mihi quare statuis esse licitum sequi opinionem probabilioris, relicta tutiore? Nonne sola conscientia certa est agendi regula? Sed non est certa tua conscientia contra quam militat solida probabilitas, ut in hypothesi habetur. Jam cogaris, volens, nolens, confugere ad principium *reflexum* probabilistarum, scilicet : *Lex dubia non obligat*, quia incerta et incognita est. Non exies inde, nisi, deposito etiam probabilismo, tutiorista evadere malis.

57. — 2° Carpendus BENIGNUS. Limites enim prudentiæ excedere videtur, acrius carpendo non solum probabilioristas, sed et ipsos probabilistas. Dum hinc et inde strenue dimicat, non attendit se ipsum propriis armis confodi. Idem enim datur principium *reflexum* tum pro æquiprobabilistis, tum pro probabilistis simpliciter, imo etiam probabilioristis, scilicet : *Non datur obligatio, nisi de ea certo constet*. Porro, si BENIGNUS probabilistas impugnando principium istud evertat, in quonam fundamento nitetur ipse? Quare enim aliquando fas esse potest agere contra legem probabiliter tantum existentem? Alia ratio dari nequit, nisi hæc eadem, quia *lex dubia incerta est, et lex incerta ut incognita habetur*. Atqui sive ambæ sententiæ sint æque probabiles, siva una aliam gradu aliquo probabilitatis superet, quoties opinio libertati favens remanet solido motivo innixa, semper verum est legem dubiam incertamque remanere.

58. — 3° Carpendus HOMOBONUS. Quare? Non quidem quoad doctrinam, libenter enim cum eo manus jungimus; sed tantum ex eo quod alios carpat. Caveat ne disputationis studio abreptus in lege caritatis deficiat. Ejus autem doctrina minime carpenda est, licet in praxi id quod tutius est communiter suadendum sit. V. *Comp. n. 60 et seq.*

59. — 4° Carpendus AUDIFACIUS, et quidem imprimis. Non videtur enim temeritatis notam effugere qui, respuendo opiniones tamdiu in scholis agitatae, systemata omnia destruens ac penitus subvertens, nullum solidum et clarum ædificat. In tribus expositis sententiis veritas consistere debet, cum tutiorismus et laxismus fuerit damnatus. In istis tantum datur medium. Perdifficile est hac in re aliquid novi et solidi excogitare. Sufficit, ait AUDIFACIUS, sensus communis! Sed numquid sensus communis quæstiones adeo intricatas et controversiis refertas dissolvit? Quis igitur est iste sensus communis? Est sane quid chimericum hoc pro praxi statuere.

60. — *Conclusio*. Nemo carpendus quoad doctrinam, excepto ultimo opinante seu AUDIFACIO. Non igitur carpendus SEVERINUS, modo opi-

niones suas aliis tanquam obligatorias non imponat; neque BENIGNUS, modo adversarios acrius non carpat; neque HOMOBONUS, modo caritatem erga alios servet, et in arctis limitibus probabilismi consistat. Huic autem omnino ratione doctrinæ adhæreo, alios non damnando. Vide autem probationes doctrinæ probabilismi in *Compendio*, n. 60 et seq.

CASUS VII.

DE PROBABILISMO 2°.

PHILIBERTUS, theologiæ professor, posthabitis omnibus systematibus de probabilismo huc usque propugnatis, utpote falsis, novum excogitavit systema, quo difficultates omnes circa conscientiam dubiam facile solvuntur. Sic autem fundamentum suæ opinionis statuit: Lex dubia neque caret omni obligatione, neque urget ut lex certa; sed plus minusve obligat prout plus minusve cognoscitur. Proinde causa, quæ excusare non valeret ab obligatione certa, aliquando sufficit ad excusandum a lege incerta. Hoc autem probat: 1° Ex natura obligationis. Lex omnino cognita habet omnem suam obligationem; lex prorsus incognita nullam habet obligationem. Ergo lex imperfecte cognita, pari ratione, imperfectam parit obligationem, majorem vel minorem pro gradu cognitionis; urget autem semper aliqua obligatio, quia semper adest periculum majus vel minus legem violandi materialiter. Attamen, si lex plus minusve urget pro gradu majori vel minori cognitionis nostræ, causa excusans a lege debet esse gravitati obligationis proportionata; adeoque ratio minor ab obligatione imperfecte cognita te excusabit. 2° Ex sensu communi. Constat enim ex persuasionem generali, seu ex sensu communi hominum, dari veram obligationem in lege incerta, etiam in dubio positivo, nempe sequendi tutiorem partem, nisi aliqua ratio excuset.

HINC:

QUER. *Quid de hoc novo systemate sentiendum sit?*

SOLUTIO:

61. — PHILIBERTUS rem arduam et periculis plenam aggressus est, dum uno verbo omnes aliorum opiniones seposuit ac destruxit. Simili modo destruere admodum facile est, solide vero ædificare operosius. Rem arduam aggreditur ille qui, in re tam gravi a tot Doctoribus tamdiu perpensa et cogitata, respuit quidquid alii huc usque dixerint, ut novum systema construat. Quidquid sit, hæc nova opinio, meo quidem iudicio, pluribus de causis prorsus rejicienda et profliganda est, ut ex dicendis patebit.

1° Systema illud pertrahit ad tutorismum sectandum. Etenim lex dubia, juxta PHILIBERTUM, semper, plus minusve obligat, nisi casu occurrat ratio ab ea excusans. Ergo pars tutior necessario semper sequenda est ad effugiendum peccatum, licet probabilitas major vel etiam maxima libertati faveat, siquidem lex quantumvis incerta semper urgere pergit. Atqui tutorismus reprobatus est in damnatione sequentis propositionis ab ALEXANDRO VIII facta: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Ergo systema PHILIBERTI implicite in hujus proposi-

tionis damnatione reprobatur. Nec obstat quod PHILIBERTUS aliquod temperamentum apponat, dicendo obligationem ex lege incerta facilius causas excusantes admittere; nam causæ excusantes sunt per accidens, et casus exceptionis constituunt.

62. — 2° Argumentum PHILIBERTI ad urgendam obligationem ex omni lege incerta nullatenus probat. Obligatio quidem certo cognita certo obligat, et prorsus incognita minime obligat. Sed quomodo concluditur imperfectam cognitionem inducere imperfectam obligationem? Sane non patet. Est gratuita assertio, non vera probatio (1). Et quis audivit unquam de variis gradibus in legis obligatione? Quid sibi vult hæc dimidiata et partialis obligatio? Quomodo gradus obligationis commensurari poterunt? Qualis gradus erit requirendus ad graviter peccandum, vel contra a peccato gravi eximendum? Quis hoc declarabit? Verius concludendum est obligationem esse indivisam, vel existere vel non existere. Imo melius ex incerta lege deducitur nullam dari obligationem, quia ad obligandum requiritur ut obligatio clara et aperta sit; proinde ubi incerta est obligatio, nulla obligatio datur.

63. — 3° Gratuito etiam supponit PHILIBERTUS nefas esse incurrere periculum legem materialiter violandi, ubi lex incerta est. Quid enim mali in illa violatione materiali, quando obligatio mihi incognita est? Quomodo peccatum velle possum, si illud non cognosco? Præterea, hæc assertio iterum nos in tutorismum damnatum deduceret; etenim, ea posita, nunquam liceret agere cum opinione quantumvis probabili, quia semper esset formido legem materialiter violandi, nisi pars tutior eligeretur. Insuper illa violatio materialis, si forte reperiatur, minime est volita; non enim intenditur, imo ignoratur, cum ipsa lex sit incognita.

64. — 4° Neque admittenda est probatio ex sensu communi desumpta. Etenim, si sensu communi revera probatur semper dari obligationem in lege incerta, etiam post inquisitionem et debitam discussionem, concludi debet omnes theologos caruisse sensu communi, si quidem omnes turmatim, sive probabilioristæ sive probabilistæ, agnoverunt sæpe nullam dari obligationem in lege dubia, licet nulla adsit ratio excusans. Ubinam autem, quæso, deficit sensus communis? An in turba omnium theologorum, vel in solo PHILIBERTO? Sed Ecclesia etiam ipsa censebitur carere sensu communi, quippe quæ damnando tutorismum, et positive approbando doctrinam S. *Ligori*, declaravit sæpe nullam dari obligationem in lege incerta, etiamsi nulla causa ab obligatione excuset. Ergo ruit ex omni partè PHILIBERTI systema.

CASUS VIII.

DE USU PROBABILISMI.

LEOFRIDUS sequentia dubia Confessario proponit:

1° Iter agens die jovis, ad hospitium non perveni nisi versus mediam

(1) Imo imperfecta seu incerta cognitio simpliciter non est cognitio, sed dubium vel opinio.

noctem. Oblatas carnes citissime comedi, dubius an in fine comestionis jam advenisset hora duodecima, necne. Varia de hoc habebantur horologiorum testimonia, quæ perpendens conscientiam efformavi.

2° Alia vice, simili occurrente casu, carnes comedi versus mediam noctem, sabbatum inter et Dominicam diem. Libenter expectassem, ad dubium mora temporis dirimendum, sed obstitit currus publicus jamjam profecturus.

3° Cum die quodam festo communicaturus essem, exiguum sacchari frustulum inadvertenter ad os admovi; sed statim advertens ad Communionem peragendam, quam citissime expui quidquid erat in ore, dubius tamen an aliquid sacchari deglutierim; nihilominus ad sacram mensam accedere non dubitavi.

4° Alias etiam, sacram Communionem suscepi dubius utrum post mediam noctem biberim?

Peto an, vel quomodo in omnibus deliquerim?

HINC :

QUÆR. *Quid sit a Confessario respondendum circa proposita dubia? — Quid in dubio practico, et quid in casu veræ probabilitatis?*

SOLUTIO :

65. — *R. ad 1^m. 1° In genere.* Si dubium sit practicum, non potuit LEOFRIDUS uti probabilismo in favorem libertatis, ut dictum est supra ad casum 3^m. Secus in dubio speculativo.

2° *In particulari. R. ad 1^m.* Non peccavit LEOFRIDUS carnes edendo versus mediam noctem die jovis, quia non ipsi constabat de lege carnes prohibente, et insuper conscientiam ex testimoniis hinc et inde perpensis efformavit. Ita multi cum *S. Ligorio, n. 38 et seq. — Lacroix, t. 1, n. 470.*

66. — *Ad 2^m.* Nec videtur peccasse simili recurrente casu, vescendo carnibus versus mediam noctem, inter sabbatum et diem Dominicam. Etenim in casu prudentem habuit rationem judicandi non urgere tunc temporis legem prohibentem. Id sequitur ex principiis probabilismi, cum revera obligatio sit vere incerta, et proinde nulla. Ita *Lacroix* citatus, cum aliis, contra alios multos, qui cum *S. Ligorio* urgent legis obligationem ex principio possessionis. *V. Comp. n. 79, Quær. 5°.*

Sed aiunt: Lex certa possidet; ergo urget. Nego assertum, scilicet quod hic et nunc sit lex certa. Fuit quidem antea certa; sed in hypothesi minime certa est. Etenim controvertitur utrum lex applicationem habeat necne, ergo non est certa. Contra certitudinem non datur probabilitas gravi motivo innixa; ergo necessario obligatio legis dubia evasit.

67. — *Ad 3^m.* Non peccavit LEOFRIDUS ad sacram synaxim accedendo, dubius an forte quid sacchari deglutierit, quia ipsi de violato jejunio naturali non constabat, nec proinde constabat de obligatione a sacra Communionem abstinendi. *S. Lig. n. 38. — Lugo. — Lacroix, et alii contra alios.*

68. — *Ad 4^m.* Probabiliter adhuc excusandus LEOFRIDUS; nam eadem ratio currit ac in casu præcedenti, siquidem neque tunc de violato jejunio constat. *S. Lig. n. 39. — Lacroix et alii contra Lugo, etc. — V. Comp. n. 80, et 1, 2, n. 332, Quær. 6°.*

CASUS IX.

DE AUCTORITATE CONFESSARII CIRCA OPINIONES.

LUCANUS, confitendi gratia, ad AQUILINUM, Sacerdotem, accedit, et inter ipsum et Confessarium instituitur sequens dialogus: « Nonne, ait Confessarius, talem contractum usurarium contraxisti? — Pater, inquit « pœnitens, revera illum inivi, sed scio eumdem a viris probis iniri, et a « Sacerdotibus doctis probari. — Hæc doctrina non est mea, reponit Pater, « rochus; contractum hunc rescindere debes, vel saltem compartem debita restitutione indemnem facere. — Parce, quæso, Pater, subjicit « LUCANUS, cum viri probi et docti hunc contrahendi modum probent, « puto, probabiliter saltem, non esse illicitum. — Non est mea doctrina, « inquam, iterum ait Confessarius, contrariam opinionem teneo; perge « igitur, mi bone, te absolvere nequeo; quære alium Confessarium, qui « tecum consentire et connivere queat. »

His dictis, AQUILINUS a se LUCANUM propellit. Infelix LUCANUS ad alium Confessarium, PANCRATIUM nempe, recta via tendit, remque totam ei pandit. « Pax tecum, sis quietus, ait PANCRATIUS, tua quidem opinio mihi non est probabilis, sed scio eam ut probabilem a doctissimis viris haberi, eam proinde servare potes; vade igitur in pace. »

HINC :

QUÆR. 1° *An Confessarius possit absolutionem denegare pœnitenti, sibi in opinionibus non consentienti, si ipsi vera probabilitas faveat?*

2° *An Confessarius possit proprias opiniones ignaris imponere?*

3° *An Confessarius ad restitutionem teneatur, si proprias opiniones imponat cum damno pœnitentis?*

4° *An Confessarius habens opinionem ut improbabilem, sed a theologis magni nominis probatam, permittere possit ut pœnitens eam sequatur?*

SOLUTIO :

69. — *R. ad 1^m Quæs.* Nego prorsus cum *S. Ligorio* contra *Concina*. Ratio est, quia pœnitens jus habet sequendi quamlibet opinionem vere et practice probabilem; neque Confessarius jus habet ipsi proprias opiniones imponendi, etiamsi probabiliiores essent. Confessarius enim non est iudex opinionum, sed peccatorum. Deinde pœnitens, facta confessione, jus habet ad absolutionem, nisi ex alia parte indispositus videatur. Gravem igitur injuriam ipsi irrogabit Confessarius, eum privando gratia Sacramenti, et adigendo ad confessionem apud alium cum magno onere repetendam. Quid si pœnitens sit ipso Confessario doctior? Numquid propriam opinionem, quam judicat probabiliorem, deponere debet, ut opinionem oppositam Confessarii sequatur?

Lepidum hunc casum supponit. *S. Lig. n. 604.*

« Duo Confessarii habent duas opiniones contrarias, quarum sua cuique apparet probabilior. Si unus velit alteri confiteri, debet suam deponere opinionem, ut Confessario suo iudici constituto pareat. Contra vero, si alter postea huic confiteatur, debet hic secundus Confessarius suam resumere opinionem, quæ sibi probabilior apparet; tunc enim debet iudicare secundum proprium iudicium, et alterum obligare ut suam deponat opinionem, quam sibi prius sequendam imposuit. En comœdia risu digna, quæ quotidie inter confessarios eveniret. »

70. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Ignari enim et rudes non debent esse deterioris conditionis ac doctiores; hinc si ipsi discernere nesciant inter opiniones, Confessarius nihilominus ipsis imponere non debet ut certas obligationes, quas ipse ut incertas ex auctoritate gravissimorum theologorum bene novit.

R. ad 3^m Quæst. Affirm. cum *Bouvier.* Sequitur ex dictis; si enim Confessarius urgeat, v. g. obligationem restitutionis, in casu in quo duplex datur opinio probabilis inter theologos, urget injuste cum damno penitentis; sed ille, qui est causa injusti damni, ad restitutionem tenetur. Ergo, etc.

71. — *R. ad 4^m Quæst.* Confessarius permittere quidem nequit ut penitens sequatur opiniones falsas, quia ab errore eum avertere debet. Sed si penitens velit sequi opinionem aliquam a probatissimis theologis ut vere probabilem admissam, a Confessario impediri nequit, licet hic doctrinam istam improbabilem habeat. Ratio est, quia si aliqua sententia teneatur a pluribus theologis, v. g. a quinque vel sex, probitate, iudicio et scientia præstantibus, nec damnata fuerit, nec alicui legi, hic et nunc existenti, contraria sit, neque certa ratio contra eam appareat, admitti potest, ut probabilis, et consequenter a simplici Confessario prohiberi non potest.

CASUS X.

DE AUCTORITATE S. LIGORII.

Tres theologiæ candidati, RENATUS nempe NESTOR et PASCALIS, quæstionem inter se movent de doctrina *Ligorianâ*, quæ, ut notum est, approbata fuit, tum per decretum canonizationis, ex quo constat nihil in S. Doctoris operibus censura dignum reperiri; tum per declarationem S. Pœnit., anni 1831, affirmantem cuique fas esse tuto sequi omnes opiniones quas admittit S. *Alphonsus*, etiam non inspectis ejus rationibus (1).

(1) *Responsum S. Pœnitentiariæ Illustrissimo Domino Card. de Rohan, Archiepiscopo Vesuntionensi, datum circa doctrinam S. Alphonsi de Ligorio.*

POSTULATUM

Ad Em. Card. de Gregorio, majorem Pœnitentiarium.

EMINENTISSIME,

Ludovicus Franc-Augustus Card. de Rohan Chabot, Arch. Vesuntionensis, doctrinam sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes diocesis suæ qui curam gerunt ani-

Posita autem præfata approbatione, nostri juniores theologi de ejus sensu et extensione acriter disputant. RENATUS contendit omnes S. Doctoris opiniones inde evadere *moraliter* certas. — NESTOR vero tenet eas opiniones esse quidem in praxi tutas, sed remanere plus minusve probabiles. Assertit autem licitum esse illas amplecti, quamvis improbables prorsus reputentur. PASCALIS tandem tum RENATO, tum NESTORI, adversatur et dicit easdem opiniones neque esse moraliter certas, cum sint mere opiniones, neque sequendas esse in casu in quo agenti improbables omnino habentur.

HINC :

QUÆR. *Quid de singulorum contententium sentiis tenendum sit? Seu, quomodo approbatio doctrinæ Ligorianæ intelligenda sit?*

SOLUTIO :

72. — *R. 1^o RENATUS*, amore et studio erga S. Alphonsum impulsus, limites veri excedit. Etenim S. Sedes, vel S. Pœnitentiaria aliud non intendit, nisi declarare nihil erroneum esse in doctrina S. Alphonsi, ita ut absque temeritate et labe imprudentiæ ejus opiniones in praxi admitti possint. Igitur illæ opiniones, licet tutæ, remanent probabiles, neque nefas est ab eis discedere. Constat ex verbis ipsis S. Pœnitentiariæ. Proposito enim dubio, nempe utrum professor theologiæ tuto sequi posset omnes opiniones quas S. *Ligorius* in sua Theologia morali profitetur? S. Congregatio respondit : *Affirmative, quin tamen reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Sic etiam Card. Gousset, in opere : *Justification de la doctrine de S. Ligori*; et præsertim in opere : *Lettres à M. le curé****, in quo egregie percillit et

marum; quorum nonnullis impugnantibus ac prohibentibus theologiâ moralem B. *Alph. M. a Ligorio* tanquam laxam nimis, periculosam salutis, et sanæ morali contrariam, S. Pœnitentiariæ oraculum requirit suppliciter, ac ipsi unius theologiæ professoris sequentia dubia proponit solvenda :

1^o Utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur B. *Alphonsus a Ligorio*, tuto sequi ac profiteri possit?

2^o An sit inquietandus Confessarius, qui omnes B. *Alph. a Ligorio* sequitur opiniones in praxi S. Pœnitentiæ tribunalis, hac sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit?

Confessarius de quo in dubio, non legit opera B. Doctoris, nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variæ nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam.

S. Pœnitentiaria, perpensis expositis, R^o in X^o P. S. R. E. Card. Arch. Vesunt. respondendum censuit :

Ad 1^m quæsitum, *affirmative*, quin tamen reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

Ad 2^m quæsitum, *negative*, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, 5 julii 1831. A. F. DE RETZ, S. Pœnit. reg.

profligat auctorem anonymum, qui prius opus incredibili audacia impugnaverat (1).

73. — R. 2° NESTOR quoque ultra veritatem progreditur, cum asserit, tibi fas esse sequi opiniones a S. Doctore traditas, licet eas prorsus et certo improbables et falsas habeas, vel saltem de improbabilitate et falsitate convincaris. Ratio est, quia tunc agens contra legem, ratus opinionem quam sequeris esse omnino improbabilem, agis contra legem moraliter certo cognitam, et proinde agis contra conscientiam tuam. — Secus vero dicendum est, si, licet opinio S. Alphonsi non tibi videatur quidem probabilis, non certo judicas esse improbabilem et falsam; tunc enim eam habere potes ut vere probabilem ex iudicio reflexo, scilicet, innixus in auctoritate tanti Doctoris, conscientiam efformare vales et doctrinam illam in praxim deducere. Potes enim facile judicare eximium hunc Doctorem multo melius te ipso rei rationes perscrutari novisse (2).

(1) Sic doctissimus Goussset adversarium alloquitur :

« Vous ne croyez pas, Monsieur, qu'une opinion soit vraie, parce qu'elle a été adoptée par S. Ligor. Je ne le crois pas non plus. Seulement, je crois que cette opinion est au moins probablement vraie, et aussi probablement vraie que l'opinion contraire, c'est-à-dire, en d'autres termes, qu'elle est au moins probable, d'une probabilité plus ou moins forte, mais toujours suffisante pour être admise sans témérité. Je crois seulement qu'on peut suivre cette opinion, parce qu'on présume et qu'on doit présumer qu'un auteur dont les écrits ne renferment rien qui soit digne de censure, rien par conséquent qui soit téméraire, n'a rien avancé témérairement. » *Lettres à M. le curé* ***, lettre II, p. 27.

« Vous ne lirez point dans la *Justification* que toutes les opinions de S. Alphonse sont vraies; je ne les défends contre les adversaires de ce saint Docteur que comme orthodoxes, que comme étant assez probables pour pouvoir être adoptées dans la pratique. Ces opinions peuvent certainement n'être pas vraies; elles sont peut-être vraies, elles ne le sont peut-être pas; il y a de fortes raisons et de graves autorités pour et contre..... »

« ... Ainsi, pour justifier la morale de S. Ligor, il n'était pas nécessaire de donner ce saint évêque comme un auteur infallible, inspiré, ni de représenter ses opinions comme autant de vérités certaines, incontestables. Il suffisait de montrer que ses sentiments sont certainement probables, ou probablement vrais, et que ses écrits ne renferment rien qui soit digne d'aucune censure ecclésiastique, on ne peut y découvrir aucune proposition qui soit, je ne dis pas impie, hérétique, schismatique, scandaleuse, mais erronée, téméraire, ou dangereuse. » *Ibid. Lettre III, p. 49 et 52.*

(2) « Dites-nous comment un confesseur, un simple particulier pourrait découvrir la vérité sur un point au sujet duquel ne s'accordent pas les Docteurs catholiques? Dites-nous comment il pourrait résoudre une question que les plus célèbres théologiens n'ont pas encore pu résoudre? Oserait-on lui faire un crime de ne pas pousser la prétention jusqu'à se croire capable de vaincre par lui-même une ignorance que ni l'évêque de Sainte-Agathe, ni les plus grands génies n'ont pu vaincre, malgré leurs veilles et l'étude toute particulière qu'ils ont faite de la morale?... »

« Mais, dites-vous, comment peut-il se croire en sûreté de conscience en adoptant sans examen une opinion controversée, qui est peut-être la moins sûre et la moins probable? Il se croit en sûreté de conscience parce qu'il croit pouvoir juger prudemment qu'une doctrine, qui est exempte de toute censure, est saine en tout... Il se croit en sûreté de conscience parce que la Pénitencerie, l'organe du Saint-Siège pour ce qui a rapport à la direction des consciences, a décidé qu'on ne doit point l'inquiéter, non inquietandus. Il se croit en sûreté de conscience parce qu'il ne pense pas que l'opinion qui lui paraît plus probable, d'après l'examen, soit réellement plus probable que celle qu'il adopte de confiance sur l'autorité de S. Ligor. » *Ibid. Lettre III, p. 59 et 60.*

74. — R. 3° PASCALIS recte iudicavit in utroque casu, ut patet ex dictis in responso primo et secundo. Opiniones enim S. Ligorii remanent meræ opiniones, etiam posita approbatione. Verum, cum sint opiniones Doctoris omni exceptione majoris, et cujus doctrina speciali approbatione S. Sedis gaudet, ex principio reflexo, tuta regula agendi evadere possunt, etiam pro iis qui ad ejus rationes non attendunt: vel eas investigare nesciunt. Cavendum autem est ne S. Ligorio adscribantur opiniones aliorum, ab ipso quidem relatæ, sed non positive ut probabiles admissæ. Notandum etiam est, quod Confessarius, licet habeat aliquam opinionem nostri Doctoris ut improbabilem, non potest pœnitentem ab ea sequenda prohibere.

CASUS XI.

DE MUTATIONE SENTENTIÆ.

1° LUCIANUS, hæres, admittit ut validum testamentum in sui favorem conditum, quamvis quibusdam debitis formalitatibus careat, innixus probabilis Doctorum sententia. Sed alia die mutata sententia, juridice postulat et obtinet irrationem alterius testamenti pariter informis, in favorem Caii conditi, ut ipse propior hæres colligat hæreditatem.

2° BATAVIUS, audita hora mediæ noctis die sabbati, manducat carnes, utpote in tempore pertinente ad diem Dominicam, ex vi probabilitatis quam facit auditum horologium; sed post quadrantem audit aliud horologium dans signum ejusdem mediæ noctis, et mutata sententia huic se conformat, et, perinde ac si nihil die Dominica manducasset, ad sacram synaxim hac die accedit.

3° SIGISMUNDUS, hæres ex testamento carente aliqua formalitate, retinet hæreditatem ex opinione probabilis quod valeat testamentum, et, mutata sententia, recusat solvere quædam legata in ipso inclusa.

HINC :

QUÆR. 1° An vel quando liceat mutare sententiam semel acceptam?

2° Quid ad varios casus?

SOLUTIO :

75. — R. ad 1^m Quærs. Licet per se mutare sententiam jam aliquando electam, si nulla sit repugnantia inter talem mutationem et veram probabilitatem, id est, dummodo mutans sententiam, aliam hic et nunc vere probabilem amplectatur, nec istud ullam contradictionem neque theoreticæ neque practice involvat. Etenim ille qui alterutrum e duabus sententiis probabilibus amplectitur, non cessat judicare alteram probabilem, et proinde ea manet ipsi incerta quod ad illam partem sicut antea. Ergo, data occasione, vel stante commodo, potest illam partem sequi, quamvis alias partem oppositam fuerit secutus. Excipe casum in quo hic et nunc sententiæ mutatio veram probabilitatem tolleret, ut ex dicendis patebit. V. Lugo. — Voit. — Lacroix.